



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1763**

**VD18 90118030**

§. 20. Quæ necem Archiepiscopi Coloniensis secuta sint.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66406)

Sæcul. XIII.  
A.C. 1226.

§. XX.

*Quæ necem Archiepiscopi Coloniensis  
secuta sint.*

*vit. lib. 2.  
c. 16. lib. 3.  
Præf.*

Inter hæc Engelberti Archiepiscopi corpus, Coloniæ reuectum, S. Sedis Legatus Conradus, Episcopus Portuenfis, die vigesima sexta Februarii, anno millesimo ducentesimo vigesimo sexto, in S. Petri Ecclesia sepelivit. Cæsarius Monachus concinne plurima prodigia, ejus ad Deum precibus adscripta, commemorat, & ait: ea ad manifestandam Engelberti sanctitatem ideo fuere necessaria, quia, dum viveret, Verbum Dei per se prædicare non solebat, nec adeo spiritualibus exercitationibus erat intentus. In his Miraculis duo mihi notata digna occurrunt. Primum, quod rudes Laici sibi persuasum habuerint, Vocum extra limina domus sub Cælo majoris esse efficaciam, quam sub tecto editum. Alterum, quod jam illa ætate mos invaluerit, ad sepulchra Sanctorum simulacra ex cera illarum humani corporis partium, quæ sanitatem receperant, manuum forte pedumve, offerre.

*Lib. 2, c. 13.  
to II. Conc.  
p. 301.*

Conradus Sedis Apostolicæ Legatus Concilium celebravit Leodii, quo, ipso jubente, sub militum præsidio, duo Episcopi Monasteriensis & Osnabrugensis,

sis, Comitis Friderici fratres, in quos <sup>Sæcul. XIII.</sup>  
suspicio cadebat, cædis, in Engelbertum <sup>A.C. 1226.</sup>

Archiepiscopum peractæ, conscios fuisse, deducti sunt. Cum objecta diluere non possent, Legato præcipiente, & Episcopis multis præsentibus in Concilio, ac consentientibus, mittuntur ad Papam, quæstioni subjiciendi, & interim denunciatur suspensi. Romam ergo pergunt, & cum ipsis Fridericus Comes; ubi haud diu commorati depositi sunt, postquam crimen, de quo accusabantur, nec opera Curatorum Ecclesiæ Coloniensis, nec per literas Optimatum remove potuerunt. Haud diu post Episcopus Monasteriensis, antequam ad sua rediret, dolore animi superante, occubuit. Interea vero Henricus Archiepiscopus Coloniensis in Ecclesia sua Metropolitana, ab Archiepiscopo Moguntino, die vigesima Septembris, Vigilia S. Matthæi, anno salutis millesimo ducentesimo vigesimo sexto, Suffraganeis omnibus Coloniensibus, & Jacobo Vitriaco Episcopo Acriensi, præsentibus, consecratur. Eadem die Henricus coram Altari Cæsario Monacho d'Heisterbach præcepit; vitam Engelberti Archiepiscopi scriberet, eoque renuente, Priorem ipsius præsentem jussit, reluctantem ad obediendum compellere. Calamum strinxit Cæsarius eodem anno, quem præ-

6. 17.

Zz 4

cipue

Sæcul. XIII. A.C. 1226. cipe in istarum rerum narratione secutus sum.

*Godfr. an.*  
1226.

Comes Fridericus, cum Romæ veniam, quam speraverat, obtinere non potuisset, Leodium venit sub alieno habitu, sed in suam perniciem. Nam ab infidiatoribus deprehensus, & plus quam mille marcis Henrico Archiepiscopo venundatus, Coloniæ deinde in Felto S. Martini perducitur, ac, elapso triduo, ultimo supplicio afficitur. Mortis hic fuit modus. Tota corporis mole humi strata, carnifex jacentis brachia & crura securibus fregit, recepitque miser adactas plagas ultra sexdecim, gemitus premeus. Facti pœnitentia tactus crimen suum sæpius, & publice & privatim, confessus est. Omnibus membris ita contritis, adhuc spirans, in rota, super columnam lapideam nixa, prope urbis portam, alligatus elevatur, ubi usque ad diluculum orans, & se circumstantium precibus commendans, tandem animam emisit. Hic Comitis Friderici Isenburghii, uno anno, postquam facinus ausus est, mense Novembri, anno millesimo ducentesimo vigesimo sexto, exitus fuit.

§. XXI.

*Friderici Imperatoris querelæ.*

Fridericus Imperator Curiam, seu Comitiam